



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Visitationis Deiparæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

gumentum, & Catholicæ Veritatis indicium.
Mense VII. Disc. 195. pag. 259. à num. 13. ad finem.

IN FESTO VISITATIONIS DEIPARÆ.

1.

Et salutavit Elisabeth, Luc. 1.

Mater Dei visitationis officium exhibet matri hominis: mater salvatoris matri præcursoris: superior inferiori. Exhibet magno multoque suo incommodo, & per tres fere menses in eodem obsequio perseverat. Discamus illius exemplo aliis præstare obsequia cum humilitate, Christiana charitate, & spirituali utilitate. *Mense XII. Disc. 364. pag. 512.*

2.

Et salutavit Elisabeth, Luc. 1.

Quid afferre nisi salutem potuit mater salvatoris? attulit salutem corporibus, dum Elisabetham suo refecit ministerio, infantem exultare fecit in utero: attulit & animis, dum matrem implevit prophetiæ spiritu, filium sanctitate, dum per fructum præsentem ventris sui eum originali peccato purgavit. Quid non erat actura Virgo ex charitate cognatæ? Peringat illius exemplo nostra erga proximum charitas, quousque potest. Fiet id, si didicerimus, quomodo spiritualia nostra bona præferre

ferre liceat spiritualibus bonis vel etiam temporalibus proximorum. Abundavit Maria, quia habuit cum Deo omnia: videamus, quousque nostra se possit egestas extendere. *Mense VIII. Disc. 217. pag. 52.*

3.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Luc. 1.

Magnum charitatis opus, visitare cognatam cum tanto labore molesti ac longinqui pro virgine itineris. Verum impulit Mariam desiderium laudabile, fructu ventris sui totam Zachariæ domum sanctificandi. O quam frigide nunc multi proximo suo bonum volunt, quo indiget! Conemur saltem intelligere, quale malum proximo nolle debeamus, ne nimium longinquè à charitate Virginis recedamus. *Mense VIII. Disc. 223. pag. 156.*

4.

Benedicta tu inter mulieres. Luc. 1.

Amplissimis verbis Evangelista explicat salutationem Elisabethæ versùs Mariam, ut abundantia charitatis, gaudii, & consolationis ex istius adventu, felicitate, dignitate copiosè appareat. Quam putas fuisse salutationem Mariæ versùs Elisabetham? non audet Evangelista exprimere, sed paucis expedit: *Salutavit Elisabeth.* Ita gaudere, ita gratulari mutuo sancti solent de donis divinis. Heu! quam

R. P. Calini, S. J. Index. p lon.

longè ab illis absunt, qui convitiis ac calumniis infano furore proscindunt proximum! Hi nimirum neque se, neque alios sanctificant, sed semetipfos multis peccatis onerant, magnis periculis se committunt, &, quod pessimum, dum carpunt alios, mores proprios nunquam emendant. *Mense VI. Disc. 171. pag. 315.*

IN FESTO
S. UDALRICI EPISCOPI
CONFESSORIS;

I.

Operatus est in eis. Matth. 25.

Talenta multa accepit à DEO S. Udalricus, splendorem generis, divitiarum copiam, honorum spem, indolem optimam, ingenium doctrinarum capacissimum, & in his talentis fidelissimè operatus est, honorem Dei & salutem proximi procurando. Operari oportet, non solùm credere; major enim fide est charitas, qua si amamus Deum, diligere debemus & proximum: & hæc lucrosissima operandi ratio est. Discamus ergo, quid impellere ad amorem proximi nos debeat, ut certum inde meritum referamus. *Mense VIII. Disc. 225. pag. 191.*

2.